



einzelne verzeihelt 4. III. 1915

Silvest. theol. Vol. 35

~~S. 111.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
VI-15.  
SIGNAT. CISIDCCCXIII.





26

ביהוה

# המרת כל הגוים

ופעל המעלות הגדולות מדבריו אמנו של חור-  
קנתי איש את יהוה בלדתה את בנה את יהודה קין:  
s.

GENTIUM DESIDERIUM  
EX MAXIME CONTROVERSA  
ΠΑΜΜΗΤΕΡΟΣ ΕΥÆ  
CONFESIONE,  
QVÆ LEGITUR  
GENES. IV. COMM. I.

PUBLICÆ ΤΩΝ ΦΙΛΟΛΟΓΟΥΝΤΩΝ ΕΞΕΤΑΣΕΙ  
EXHIBENT

PRÆSES

M. ZACHARIAS Gensel/  
VRATISLAVIA SILESII.

ET RESPONDENS

GEORGIUS MICHAELIS,  
STEINENSIS HUNGARUS.

IN AUDITORIO VETERI HOR. MAT.  
AD D. XXVII. SEPTEMBR. MDCCLXXVI.

---

VVITTEBERGÆ,  
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI.





VIRIS  
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS; SPECTATIS-  
SIS, PRUDENTISSIMIS, SOLERTISSIMIS,

Cæsareæ Regiæq; Urbis WRATISLAVIÆ  
ORDINIS

MERCATORII  
INSTITORUM

AURIFABRORUM

Splendidissimi, Clarissimi, Celeberrimi,  
CIVIBUS

Primariis, Dignissimis, Meritissimis,  
PAUPERUM

*Promotoribus, Evergetis & Patronis benignis,  
Animus*

*Beneficiorum memor acceptorum, Vitam longævam, felicitatem omnige-  
nam, benedictionem cumulatam, à DEO, beneficiorum remuneratore optimo, inde-  
fessis implorans precibus, hanc Dissertationem, qua pretiosissimam illam, omnibus  
fidelibus Negotiatoribus comparandam, & puro cordis auro includendam continet  
Margasitam,*

offert, dedicat, consecrat,  
Clientis infimi

GEORGII MICHAELIS Hung:

S. S. Theologiæ Studiosi.







כיהו:

PROOEMIUM.

**J**ustissimæ sunt Querelæ, quibus Megalander noster Lutherus & B. Franzius usi olim sunt adversus illos, qui juxta Prophetam Scaturigine Aquarum limpidissimarum neglectâ Paludes sibi foetidâs & rimosas fodiunt Cisternas. Nam eo redacta res est in Orbe Terrarum, ut omnes aliæ Lingvæ plus curentur, quam EBRÆA: & aliorum Populorum Historiæ aut Res investigentur accuratius, quàm Populi istius, ex cujus Sangvine prodiit *Redemptor Generis Humani*. Apertè hic dicendum mihi quod Animus est. Valde oscitanter & perversè vivimus. Gallorum, Italorum, Anglorum, Polonorum verba studiosè satis discimus & avidè captamus. Ac licet sæpenumero Psittacorum more Sonum tantum non Sensum simul & Mentem referas, loquendum tamen gallicè est, si Heros esse velis aut Phyllida solus habere. Ubi autem ad Sacro-Sanctam eamq; primævam Lingvam deventum fuerit, ô bone Deus! quàm tacere plerosq; jubet Plato. Sed Surdo narramus Fabulam. Quod UNUM erat NECESSARIUM somnolenter mittimus. Quod MINUS erat NECESSARIUM fervide sectamur. Sic aliud agendo fenescimus. Hic omnes certè nimium, quàm par est, ad rem attentifumus. Quotusquisq; enim vel δύο λεπτά impendit comparandis Bibliis E? cum tamen in alijs ditissimus quisque haberi cupiat. Ast poenitere suum quanti emant hujus Mundi Filij, non opus est, opinor, Perspicillo aliquo aut oculo armato, si velis rectè cernere. In propatulo res posita est. Et præterea experiuntur id ipsum Parentes omnium optimè, qui Natorum Vota & Vitia ex conclusâ Ollâ coguntur alere. Hinc communes Lacrumæ: quod hi omnes in re ferventissimâ frigeant; in frigidissimâ ferveant. Non aliter ac delicatula Juventus; quæ rectam, quâ per Vestigia Veterum ad solidam Eruditionem itur, instare recusat, & pasim

A 2

sequi-



sequitur Corvos Saxoq; Lutoq;, ( ut loquitur Venerandus Præceptor Cl. M. Johannes Fechnerus, Vir de me & rotâ Silesiâ optimè meritus. ) Mirandum itaq; non amplius est, si ex impio Sacrarum Literarum neglectu aut minus devotâ earundem Consideratione in quorundam Cerebello tremendæ & insulsæ Textuum interpretationes natæ olim sint & hodiè nascantur, quas, credo, nisi ipsa Sibylla legerit, rectè exponere neminem posse alium. CONFESSIO MATRIS EVÆ fidem faciet uberrimè. Hic certè, si ullibi, : לא כל אצבעות חכמים שוורר; sed sicut Lernæa Hydra innumerabilibus fuisse Capitibus fingitur, quorum uno succiso, alterum statim repullulavit: ita fœcunda hæc Opinionum Mœnstra sunt: si unum deviceris, non deficit alterum, cum quo tibi congregandum imposterum sit. Eamus ergo Bono cum Deo, quò Rerum nos sublimitas & magnitudo vocat. Dignus hic expendi Locus est. Sententias equidem aliorum non scrupulosè rimabimur; sed palmarias saltem eligemus. Si enim eum Sixt. Amama in Scenam vellemus producere omnes ad unum Sacrificulos, qui Bibliis remotis ad Batavos suos & Versiones provocant, quot, malum! Theatris haberemus opus? Sudabimus itaq; cum primis in eo, ut Megalandri Nostri Versionem, ceu omnium optimam ab erroneâ aliorum Sententiâ pro virili vindicemus. Hæc tamen lege positâ, ne Illorum Honori (quoad fieri poterit) detrahamus quicquam, quos pridem sua Eruditio & sentiens Hominum Opinio in excelso collocavit.

יהי נועם יהוה אלהינו ומעשה ידינו  
כוננה עלינו אמן:

§. I. Illustrissima ac summè Emphatica possemus hic congregare Elogia, quibus exquisitum hocce Dictum ornarunt pii & gravissimi Viri. Verum cum id instituti nostri Ratio impræsens non permittat, rectius facere videmur, si certa quædam Capita selegimus, quibus rem omnem comprehendamus. Erit itaq; I. Criticum. II. Porismaticum.

## CAPUTI. CRITICUM.

Exhibet (i) ipsos Fontes cum quibusdam  
Versionibus (ob defectum Typorum Latinis, partim  
Ebrai-



(Ebraicis literis excusis) (2) Brevem Vocum (ubi quidem opus est)  
Analyfin & Synerifin Grammaticam.

§. 2. Membr. I. (1) *Fontes* ita fluunt: וְרָאִים יָדַע אֶת-חַוָּה אֲשֶׁתוֹ וַתַּהַר וַתֵּלֶד אֶת-קַיִן וַתֹּאמֶר קָנִיתִי אִישׁ אֶת-יְהוָה:

(2) Targum *Jonathanis*: אַקְוִיפִי וִירִי אֶת-יְהוָה מִן-קָרַם יָיִ אֲשֶׁר אֲנִי מֵאִישׁ אֶת-יְהוָה. Non abludit

(3) Versio *Arabica*, nisi quod voculam (jam) apponat, h. m: Jam  
accepī Virum à Deo vel à Præsentiâ Dei. Neq; (Teste Dieu)

(4) Versio *Persica*. Acquisivi Virum à Præsentiâ vel Majestate  
Dei.

(5) Targum *Onkelosi*. אַקְוִיפִי וִירִי גְבוּרָה מְלֹכָא רַיָּי אֲשֶׁר אֲנִי מֵאִישׁ אֶת-יְהוָה (ut Ramban & alii explicant)

(6) Versio *Syriaca* קנתי גברא למריא Acquisivi Virum Do-  
minum.

(7) Versio *LXX. Græca*: Εἰρησαύμην ἄνθρωπον διὰ τῆς θεῶ. Ac-  
quisivi Hominem per Deum.

(8) Hos *Vulgatus & Lyranus* seqq. Possedi Virum per Deum.

(9) *B. Lutberi* Versio: Ich habe den Mann den Herr.

(10) *Münsteri, Pagnini & Junii*: Acquisivi Virum à Jehovah.

(11) Versiones aliæ ut & *Montani & Stephani* (anonyma vulgo)  
Acquisivi seu Possedi Virum CUM DOMINO.

(12) *Polonica & Bohemica*: Ctrzymatem Mezá od Pána álbo  
3 Pánem. Nacta sum Virum A Domino seu CUM DOMINO.

§. 3. M. II. וְרָאִים & Homo) Literam Vav pleriq; otiosam  
proclamant; quæ tamen, si officia ejus attentè observes, est occu-  
patissima. Famulus quasi aliarum Vocum & alter Proteus est, jam  
isto, mox alio comparens habitu. Nam tot ista Particula Signifi-  
cationes habet, ut vix certum inire numerum liceat. Hinc alij plu-  
res; pauciores alij condunt Regulas. Insignis quidam Philologus  
iz. vocabula, uti vocat, Symbolica Tyronum memoriæ destinavit,  
quæ, cū à me vidisset nuper doctus Judæ9, numero multiplicato re-  
misit mihi 16. Rabbinica. Hoc loco statuimus וְיָי תַחֲלֵת הַרְבָּרִים  
idq; Significativum. *R. Sal. B. Melech* f. 9. c. 1. & fol. 13. c. 2. nullum  
aliud assignat eidem officium, nisi quod serviat ab Initio librorum  
& vocum: וְיָי נֹסֶסֶת לֹא תִשְׁמַשׁ כָּלֹם אֲלֵא שְׁהִיא תַחֲלֵת הַמְּלָה  
vid. etiam fol. 49. col. 2. fol. 51. col. 1. Eidem assentiri vide-  
tur



מנהג הלשון לכתוב במקומותיו שלא להוסק. f. 234. רוק  
 tur mos est S. Sacrae adhibere Vav, quod nil quicquam facit ad augendum Sensum aut res inter se connectendas. sed mutato statim Consilio pergit וכבר כתבנו במכלול אשר חכרנו  
 כי יש לפרשם לתוספת עם חסרון מעט לפי ענין כל אחד מהם  
 Scripsimus in Michlol nostro quod (Vav) possimus (per Et) exprimere copulative, prout sc. ratio sensus postulat. Pleriq; Grammaticorum sentiunt, illud esse merè expletivum & h. m. pleonasticum, ut ejus nulla sit significatio. Verùm, cum adsint in Contrarium Rationes & alia via, quibus expedire nos possumus, vetitum esto, ad Asylum Ignorantiae prater Necessitatem confugere. Objiciunt *οἱ ἐξ ἐναντίας* Vav Conversivum & quod poni solitum est (1) ab Initiis librorum Exodi, Levitici, Josuae &c. (2) Capitum. (3) Versuum (4) certarum Vocum. Sed hoc rugosum piper nostras nares nondum contrahit. Nihil dicam de vetustissimis Rabbiorum Interpretibus *R. S. Jarchio, R. Saadia*, qui hoc Vav ab Initiis Librorum respondere perhibent particulis his: על כן / כן / אז. Neq;, accersam Judæos hodie per Germaniam & Poloniam sparsos, qui, quantum observare licuit, in Ebræo-Polonico-Germanicis libellis pro isto Vau his circiter utuntur vocibus, *zaczym, ponie-wàz, zàtym, otdad*: unter dem (unterdessen) in der Zeit / mittel (mitler) Weile / so / darnach; sed illos tantum allegabo, qui cum *R. Joseph Kimchio, R. Chiug. R. AbenEsra, R. Juda* perhibent  
 כי כל וו נוספת היא רמז על מ לה חסרה כדמותה ושמענינה  
 : תבין חסרונה שבא על מלין לאמת הדבר: Quod Vav prostheticum (ab illis allegatum) innuat, desiderari (desse) vocem aliquam (proximè ante se) affinem, sive quod idem est: facile in L. cc. concipies vocabulum aliquod idoneum seu Synonymum, quod cum sequenti benè connectatur, & suo modo explicet posterius. E. g. 2. Sam. 13. 20. Et confedit Tamar ושמחה desolata i. e. אבלה ושמחה lugens & (aut) desolata. Memini etiam me legisse in Comment. רשי / hanc literam Vav ab Initiis librorum positum idem denotare ac הנה aut emphaticum aliquod NB. Ex eo sine dubio hausit *Adm. Rever. Dn. L. Pfeiffer, Praeceptor Honoratissimus*. Ita enim dicit in *Obs. Gramm. Non est difficile*



*difficile respondere ad Exempla Pleonasmorum ab Autoribus hinc inde allegata, sed nimis operosum. Ec. quod ab Initiis librorum ponitur, ipsis est otiosum, nobis maxime emphaticum, significans ידע ecce. Tales enim pleonasmos particularum aut vocum, quas siccis plerumq; pedibus pratercunt Interpretes, absit, ut in Stylo Sp. S. concedamus. Haftenus Pfeifferus. In Sententiam eunt manibus pedibusque Cl. Hottingerus & Joan. Barclay Anglus, qui insuper multis Exemplis probant confirmari hanc ratione tritissimum & utilissimum Ebraeorum Canonem כפל הענון במלות שונות Obferv. Sacris. p. 31-37. M. I. fol. 9. c. 1. fol. 13. c. 2. operosè de hanc particula scripserunt B. Glasius. p. 873-880. Buxt. Thes. Synt. Hakspan. N. Ph. Part. I. p. 168. 549, 495. 750. P. II. 481. 926. 431. P. III. p. 20. 319.*

§. 4. אדם homo.) Reddimus homo; non Adam. Rationem dat Kimchi Michlol. f. 15. לא תבואה היריעה על שם האדם Non praepositur He Emphaticum Nomini Proprio, quia non opus habet ulteriori determinatione aut Notificatione: Nisi forte id fiat לרוב ההודעה majores Emphaseos ergo, & quidem in Propriis locorum, Fluviorum, Gentilibus item & Patronymicis. M. I. f. 56. col. 2. fol. 30. c. 2. fol. 50. c. 1. fol. 152. c. 4. Kimchi ad Hof. 6. vers. 8. Haksp. N. P. P. I. p. 231. & Cabb. 161. Buxt. Thes. 385. Qui Etymon in Horto ארן quærunt, frustra sunt. Non enim in qvolibet gurgite latet gobiis. Rectius deducitur ab אדם rubuit, uti patet ex Gen. 2. vers. 7. Et formavit DEUS אדם Hominem pulverem ex Terra; vel ut Schindlerus explicat אדם על דרך ההפוך ex pulvere Terræ. Ben Melech f. 4. col. 2. נקרא כן על שם האדמה אשר לוקח משם: אדם ita, propter Terram, ex quâ desumptus est. Cœterum de ejus Creatione Doctores Talmudici multas & ridiculas nugas ferunt: notati idcirco à Buxt. L. T. p. 29. 97. 133. & Disfertat. Philot. 1. De eo Androgyno & instar Jani creato J. Judæos & Platonem v. Slcvoigt. Volum. Disf. f. 488. Excell. Sennertus Praeceptor & Patronus colendus h. 1. Michlal. Jophi fol. 4. c. 2. Buxt. L. T. p. 133. 506. 1360. Jalkut L. Reg. f. 38. col. 4. Schalschelet Hakkabbala f. 19. 1. De Nomine ejus Cabbalisticè explicato, Baal Turim. Glas. Phil. p. 308. Sennert. b. l. Buxt. L. T. R. אדם. De Metu ψύχης f. נפשות, quod ipsius (א) Adami Anima volutata sit per corpus (ד) Davidis, & inde



& inde remigratura sit in Corpus (D) Messiae v. *Drusius* ad Matth. 16. vers. 14. *Buxt.* Syn. f. m. 165. *Lempereur Not. Abarben. ad 53. cap. Es. Pfeifferus, Præceptor Laudatissimus Not. ad Obad. p. 9.* Scholastici quidam ineptiunt, dum ex Græco Ἀδάμ probare conantur: Adam creatum esse ex quatuor Mundi Partibus, & quod (A) ἀνατολήν (Δ) δύσιν, (A) ἄγκυρον (M) μεσσυβείαν notent, hinc *Magnif. D. Scherz* p. 91. Trifol. miratur, quod *Ariaga* non potuerit hunc Errorem refutare in tantâ Lingvarum luce.

§. 5. ירע Cognovit) Ita *V. Tremell. Stephanus, alii.* Verecundè pro concubuit. *B. Dn. D. Gerb. h. l. scribit: Verba Notitia ap. Hebræos intelliguntur cum Affectu & Effectu; quod itidem agnoscit Pareus Comment. Gen. h. l. Glasz. Phil. S. & Schindlerus Lex. R. ירע. R. Menachem* aliam exsculpit rationem, quare ירע de ipso Concubitu usurpetur. Semen virile, inquit, descendit à Capitis Cerebro per venulas, quæ se ramificant per Dorsum Hominis: hinc Coitus vocatur Cognitio, quia Semen à loco Cognitionis propagatur. פרוש יונתן (liber recusatus haut ita pridem Pragæ in 40.) blasphemè commentatur: Cainum conceptum ex Adulterino Coitu cum Spiritibus; Abelem autem ex Ade Consortio; atq; hinc esse quod Chaldeus ait מלאכא ריי & quod in Fontibus ירע de Adamo dictum, id eò respicere, quod cognoverit illam esse gravidam לאמן התחתונים אלא מן האליונים non ex hisce Inferioribus sed superioribus sc. Spiritibus. Miser Adam! *Jalkut 2. Sam. c. 7. vers. 14.* כל מאה ושלשים שנה שפירשה חוה מאדם רווחת זכרות היו מתחממין ממנה והיא יולדת מהם ורוחות נקבות היו יולדות ממנו *Omnibus centum & triginta annis, quibus Eva ab Adamo segregata vixit, rem habuit cum Spiritibus masculis, ex quibus etiam, quod conceptum, peperit; & Spiritus, qui femelle sunt, rem habuere cum Adamo, & fecundi fuere ex eo: Egregium verò Conjugium J. Judæos! Reuchlin. Cabb. fol. 626. Raschi ad voces זאת הפעם כאשר ראה שלא יחיה בגופו בעצמו לעולם הוצרך להחיות המין על כן אמרה קניתי את איש* *cum videret (Adam) se suo ipsius Corpore non victurum in perpetuum, opus habuit propagare Speciem suam: propterea dicit (Eva) Acquisivi Hominem.* Alias variant signi-



significata hujus Radicis. Jam tribuitur Intellectui; mox ad Sensus quoq; extenditur. Hinc etiã adhibetur passim de Brutis & metaphoricè de Inanimatis *B. Well* Pl. I. *Pagninus* Lex. Varias & Elegantes loquendi modos in Vulgus non adeo notos suppeditant *B. Lutherus* ad Deut. 2. p. 7. *Well* l. c. *Haksp.* 1. Reg. 17. vers. 24. *Flacius* p. m. 141.

§. 6. חַוָּה (Eva) Multas hujus Appellationis Rationes cumulant nugacissimi Verpæ. *Baul Turim* fol. m. 6. scribit.

וּקְרָא אֶת שְׁמָהּ חַוָּה עַל שֶׁם שְׂמֵחָהּ וְהָיָה שְׂמֵחָהּ וְהָיָה שְׂמֵחָהּ  
שִׂיחָהּ יִרְדּוּ לְעוֹלָם תְּשַׁעֲהָ נְטִלוּ נְשִׁים

*Et vocavit (Adam) Nomen ejus (Eve) חַוָּה / quia (multum) garrit. Hoc est, quod dicunt; Decem Cabi Confabulationum descenderunt in mundum; sed novem abstulerunt mulieres. Non melioris Commatis est Sententia Petri Comestoris, qui asserit, quod Adam deplorans Posteritatis suæ miseriam vocaverit Uxorem suam Eva, quasi alludens Ejulatu Parvulorum. Masculus enim creatus dicit A; Femina v. E. Perperam etiam statuunt quidam, quod Eva dicta sit עֵבֶר per Ironiam & καὶ ἀντιφραση. Pejus adhuc *Rupertus Tuitiensis*, quod ex Animi superbiâ Deum contemnens ferociter hoc Nominis Evæ imposuerit. De quibus *Majerus Phil.* L. II. *Sixt. Amama Antib.* Sed satis nugarum. Pia & gravis est hæc Explicatio, quod חַוָּה deducatur à חַיָּה / ut notet activè viventem vel Effectivè Vivificatricem; quia speravit Adam eam fore mulierem illam, quæ paritura esset Semen conculcatum caput Serpentis. v. *Luth. Comm. in Gen. b. l. Waltherum Expl. Gen. 3. vers. 20. Magnif. D. D. Calovium Diss. de Inimicitia inter Serpentem & Mulierem* c. 3. par. 29. *Magnif. Dn. D. Job. Deutschmann / Patronus, Præceptor atq; Hospes etatem colendus Diss. super b. l. Dn. Sennert. l. c. Moses* (ut *Sixt. Amama* vult *Antib.* p. 369.) vocat eam.*

אִם כְּלָחִי חַוָּה נּוֹפֵל עַל כָּל בְּנֵי נִשְׂאָה וְלִרְוֵתָהּ

i. e. חַוָּה derivatur à חַיָּה quoniam vivificat fetus suos. Sed quaerit idem רַשִׁי, quare Jod in Vav transferit? Respondet ipsi *Aben Esra*

*Comment.* הָיוּ וְהָיוּ מִתְחַלְפִּים וְכֵן הָיָה יָד יְהוָה הַיּוֹד וְאַתָּה הוּא לְהֵם לְמֶלֶךְ וְלֹא קָרָאָהּ בְּיּוֹד כִּי הִפְרֵשׁ יֵשׁ בֵּין שְׂמָהּ וּבֵין שֵׁם הַחַיּוֹת

B

i. e. Vav



i. c. Vav & Jod permutantur & sic Exod. 3 3. Neb. 6.6. Non autem  
voiat eam (חיה) cum Jod, nam qua tunc fuisset differentia inter  
Nomen ejus & Nomen Animalium? Michl. Jophi תאר בזה חיה  
חיה לוי כדו שלא יתערב עם זאת החיה אשר וי  
Est Adjectivum pro (חיה) commutato Jod in Vav, ne confundere-  
tur cum eo: hoc est animal quod &c. Lev. II. 2.

§. 7. אשתו Uxorem suam) J. Raschium אשה & אשת  
formantur ex אש. Rationem suggerit textus כי מאיש לוקחה  
אשה quia ex Costa viri desumpta, est. Quare aut. ex Costa; non  
ex alio membro, exponit Rabbi Josua in Rabbo Seder: Con-  
sentit R. Sal. Ben Melech p. 88. Buxt. L. T. 1542. Raschi ut obtineat  
Adamū Androgynum creatum fuisse, costam explicat per latus Sed  
fabulatur. Quod dages f. habeat vox אשה fit docentibus Kim-  
chio & Schindlero, quia Chirec magnum in parvum & dages f. re-  
solvitur. Monendum quoq; duxit Excell. Dn. Sennertus, in Sta-  
tu constructo extraordinariē induere formam 5. punctorum.  
Alii tamen Grammaticorum statuunt, duplicem dari formam אשה  
Sc. & אשת; hoc saltem cum discrimine, quod prior in statu ab-  
soluto & sine Affixis; posterior in Constructo & cum Affixis po-  
natur. vid. Diss. de Vulpibus Samsonis, Pracellentis. Dn. M. Hilli-  
ger c. 1. voce אשתו. R. S. B. M. f. 2. col. 4. ad vocem מלאכתו.  
Differentia אשה & אשת è Lexicis petenda. vid. tamen B. Hak-  
spanium N. P. P. III. p. 402. & c. 1. Matth. Flac. P. 2. p. m. 112. Buxt.  
L. E. Glas. I. c.

§. 8. ותהר & concepit Est Fut. Kal cum ך Convertivo.  
R. הרה. v. Schindl.

§. 9. ותלר & peperit) Est itidem Fut. Kal. R. ילר. Si-  
gnificat duo (1) gignere & Substantiæ Materiem suppeditare (2) pa-  
rere vel תלר. Nam Objectionem Judæorum apud Lipmann.  
Niz. §. רסט fol. 148. quasi ילר respiciat tantum Mulierem refu-  
rat 4. c. Gen. vers. 18. vid. Dorsch. Pentad. Diss. 2. fol. 97. Qui  
tradunt, quod cum Caino Soror & postea Uxor ipsius nata fit, ni-  
mis, quam par est, Judaizant. Zennorena, ut solet, ligulas ven-  
dit. Raschi: Tria ארין sunt multiplicativa, ut doceatur ipsa  
pepe-



peperisse Gemellos: sc. cum Cain atq; Abel duo sunt nati; propterea dicitur: והוסיף & addidit: deceptus est Judæus vocibus קנין / ויהוסיף ללדת / quasi denotarent continuum pariendi Actum. Baal Turim ex ipsis vocibus Liberos supputat. fol. m. 56. col. 2. ad Exod. i. Sadius Patriarcha Alexandrinus adhuc feliciter mentitur. Eva, inquit, cum concepisset, peperit Puerum & Puellam simul: Puerum appellavit Cain; puellam צרור, rursus concepit, & puerum vocavit Abel, Puellam ארין. alia mittimus.

§. 10. קין על שם קניתי / Raschi & Michl. Jophi קניתי / Cain à Rad. קנה descendit. Dicebat enim Mater quum peperisset eum קניתי, indicans quod per Generationem acquisiverit Virum, qui recuperaturus erat τὸν λαὸν περὶ Ἰσραὴλ. Tit. 2. vers. 14. pia est sententia B. Gerhardi, de quâ in Comment. v. B. Lutherus Tom. 4. fol. 33. & Magnif. D. D. Deutschmann l. c.

§. 11. ויתמר & dixit) Fut. Kal. Majmon. M. N. P. I. c. 65. ostendit ויתמר usitate sumi (1) de Sermone qui fit Lingva: adstipulatur Aben Esra. Pl. 19. & Pl. 33. (2) de re formata in Intellectu sed ore non prolatâ. vid. Abendana Amos 5. vers. 14. (3) de Voluntate, ut Exod. 2. vers. 14. vid. M. I. h. l. Saadias in eandem Sententiam concedit & ויתמר per ויתמר exponit. R. Isaac Karo quærit Locum parallelum in vers. 4. 1. Sam. 20. Sed pleriq; ab eo faciunt divortium. v. R. D. K. Comment. f. m. 355. M. I. fol. 72. col. 4.

§. 12. קניתי V. Act. Pr. Kal. R. קנה / possedit, acquisivit, possedit acquirendo quocunq; modo, pretio, premio, hereditate, vel etiam Generatione. De quo Castellus Lex. Angl. p. 3374. subscribit R. S. B. M. h. l. ut & fol. 7. c. 1. fol. 41. c. 4. f. 87. c. 1. Juxta Mas. magnam & Concord. quinquies tantum h. m. legitur. vid. Exc. Sennert. & Pagnin. plura hic ex Raschio, Saadia & R. S. B. M. possemus apponere, sed Chartarum angustia prohibet.

§. 13. ויתמר Virum) Pro diverso posito diversimodè accipitur. Absolutè denotat Marem, Virum, clarum, strenuum; Unde J. quosdam Græcorum ἰσχυρὸν. B. Luther. Tom. 8. fol. 157.







fens locus Gen. 4. vers. i. diversissimodè ab illis fuerit interpreta-  
 tus. Hinc alij contendunt Part. **ת** h. l. esse Notam *Genitivi*;  
 alij *Dativi*; alij *Ablativi*; ut vix à *Nominativo* & *Vocativo* sibi  
 temperent, modò ut *Accusativum* non admittant. Sunt etiam,  
 qui **ת** per *Prepositiones* *A*, *De*, *EX*, *CORAM*, *CUM*, *PER*,  
 exponunt; ali in Scirpo nodum, h. e. *Ellipsin* quærunt part. **ו** vel  
**ו**; quidam **ת** pro **ל** ponunt. Et quid non? quot Capita, to-  
 ferè Sententiarum divortia. Respondebimus ad singula brevi-  
 ter (1) Part. **ת** h. l. non est nota *Nominativi*; quia hoc tantū valet,  
 quando vel cum Verbo Passivo, vel, J. B. Helvicum & L. Dieu,  
 cum Verbo Intransitivo construitur (quamvis ultima hæc Af-  
 fertio cum grano salis accipienda sit) v. B. D. Wellerus & B. Glas-  
 sius h. l. Neque est (2) Nota *Genitivi*; hinc Amama confidenter  
 quarit A. B. p. 233. ubi auditum vel lectum **ת** *Genitivi Casus Ar-*  
*ticulum esse*? Fatemur equidem, Lutherum etiam olim ita ver-  
 tisse; verum postea re penitus examinata mutasse eandem Ver-  
 sionem & constanter retinuisse, quam adhuc cernimus in Bibliis  
 nostris. Neque (3) locum reperit *Calvini*, *Parei* & *aliorum* Sen-  
 tentia, quibus *Dativus* arridet: ac si Mater Eva sibi gratulata sit  
 denato filio, eumq; Deo, tanquam Generis sui Primitias offerat.  
 Hæc enim Explicatio est nova, torta & Textui contraria. Nam  
 quis, quæso, *Calvino* part. **ת** vendidit pro Nota *Dativi*, maxi-  
 mè si Verbum Activum præcedat? Et præterea, licet quandoq;  
 ab Interpretibus adhibeatur in *Dativo*; Indoles tamen E. Lin-  
 gvæ non æstimanda venit ex *Frischlini* aut alterius Syntaxi la-  
 tinâ. Neque (4) illorum Sententia vera est, qui pro *Ablativo*  
 tanquam pro *Aris* & *Focis* dimicant, ut exponatur per *Cum*.  
 Potest illa dupliciter considerari, (a) ut *Causa* aliqua *Socia* infe-  
 ratur *Ablativo* illò. Sic R. S. B. Melech קניתי עם השם  
 ; כן הוא שם בו חלקו ונפח נשמה בו ;  
 Dominò: nam ipse etiam partem suam addidit inspirando eidem  
*Halitum*. Consentit R. Sal Jarebi את השם כמו עם השם  
 כשברא אותי ואשי לברו כדאנו אבל בזה שותנים אנו עמו  
 q. d. *CUM* Dominò; Cum enim me & maritum meum crearet,



Solus creabat nos; at in hoc cooperati iumus ei: Resp. Societatem propriè dictam non esse, nisi inter pares gradu, ætate vel ordine &c. Quod ipsum de Deo & Eva non possumus asserere. (3) *Comparete*, quando intelligi volun: Causæ supremæ principalem influxum, quam Sententiam *Rivetus*, *Sixtinus*, alii fovent, q. d. favore atque Auxilio Dei,  $\xi\upsilon\nu\ \theta\epsilon\omega$ . Resp. (a) Infolens est hæc Phrasis in Sacro Codice; nam E. L. hanc formulam  $\sigma\upsilon\ \theta\epsilon\omega$  effert:  $\text{בְּאֱלֹהִים / עִם אֱלֹהִים / בְּיְהוָה}$ . (b) part.  $\text{אֶת}$  non denotat *Cum*, nisi quando construitur vel cum Verbo Substantivo vel Intransitivo vel etiam quandoque Hitpael, aut quando affixa eidem accedunt, idque communiter, cum Tere mutatur in Chirec seq. dages f. (c) dandum ab Adversario vel unicum Exemplum, ubi in tali, qualis hic est, Vocum Positu, particula  $\text{אֶת}$  CUM, A, DE, E, EX, PER, C O R A M, reddi necessario debeat, maximè in Coniunctione cum Nomine glorioso, id quod nunquam futurum est, ut ait *B. Helvicius*. Neque (5) *Ellipsis* statuenda est cum *Junio*, *Tremellio*, *Piscatore*, ut  $\text{אֶת}$  dicatur positum pro  $\text{אֶת־}$ , A Domino, sicut fiat Gen. 44, 4. & Deut. 34, 1. Resp. (a) Negando, in locis adductis esse Ellipsin. (b) Quamvis id ipsum concederemus, planissima tamen & perpetua penes Activum significatio in Accusativo Casu retinenda est; non torquenda ad aliorum Locorum Ellipticam. *V. Helvicius* h. l. Multo minus (6)  $\text{אֶת}$  pro EX positum esse concedimus; quis enim sensus esset: Acquisivi Virum ad Dominum? Relinquitur ergo,  $\text{אֶת}$  h. l. esse Notam Accusativi Casus. Probamus id (1) *Ex Grammaticarum Regularum Conditione*. Nam quando Verbum præcedit; vel (uti *Excell. Varenii* Comment. in Gen. p. 393. loquitur) quando inter duo substantiva ponitur ut h. l. Accusativi semper est Nota. (2) *Ex L. E. Consuetudine*, quæ Appositionem in Accusativo solet exprimere per  $\text{אֶת}$  inter duo Nomina positum. E. G. Jer. 17, 4. (3) *ex ipsâ ἀνωψία & Exemplorum multitudine*. (4) *Ex ipsius Protevangelii Explicatione*. (5) *Ex Chaldaica Paraphraseos & antiquissimorum Rabbino-*  
rum



*nam Interpretatione. (6) Ex nostra Explicationis Simplicitate  
 & Certitudine. (7) Ex sententiâ hujus præ aliis Prærogativâ.*  
 Nam etiam si posset, inquit B. Helvicus h. l. locum habere ta-  
 lis Explicatio, qualem Adversarii afferunt, tamen quia hæc  
 ex Constructionis Tenore pro divinitate Messie contra judæos  
 tam pulchre fluit, indignum est Christiano, Judaicum potius  
 sensum amplecti, quam eum, **QVI GLORIAM CHRIS-  
 TI ILLUSTRAT.** Non possum, quin Coronidis lo-  
 co apponam infusas Judæi cujusdam sententias, qui, cum  
 paucis abhinc Annis in disputatione quadam Vratislaviæ ha-  
 bitâ, hunc Nodum Ore non posset; Cultro adhibito & voci-  
 bus Textus miserè lacinatis h. m. solvit: **קנין**, per gene-  
 rationem possideo **אנין** **אנין** (a.) **אנין** Adonaj. (asserbat n. Ne-  
 bulose in MSS. antiquissimo invenisse **אנין** pro **אנין**) Cum au-  
 tem ad datam ipsi responsionem ne gr̃y quidem posset excipe-  
 re, missâ hæc Opinione aliam protulit: **קנין** habeo, **אנין**,  
 Puellum aliquem, **אנין** signum Dei. q. d. post anxiam Ex-  
 pectationem tandem aliquando in lucem edidi lepidum Puel-  
 lum, quod est Signum divini Favoris. Verum; cum & hæc  
 viâ non procederet, & ne magis mutus quam piscis haberetur,  
 mutatâ illico Sententiâ, ex Puello faciebat Gigantem  
 inaudita metamorphosi; dum vocem **אנין** explicaret de viro  
 aliquo strenuo & longurione; ac si Eva gratulata sibi esset,  
 quod magnæ & inusitatæ Staturæ Virum in Lucem edidisset à  
 paternâ Adam non abludentem, de quo judæi tradunt;  
 quod Staturæ ejus fuerit à Terra ad Cœlum usque.  
 Sed mirrimus has nugas.



PORIS-



RORISMA II.

ANNOMEN יהוה HABEAT PUNCTA PROPRIA? Aff.

PORISMA III.

AN EX HOC VERSU JUXTA RASCHIUM  
ET MAIMONIDEM PROBARI POSSIT  
LINGVAM EBRAEAM ESSE PRIMIGE-  
NIAM? Aff.

**A**D sententias aliorum, cum ob Chartarum  
Penuriam non licuerit impræsens, datâ  
Occasione in Conflictu respondebimus. Obni-  
xè interea Veniam petimus Imbecillitati no-  
stræ. Halluciamur omnes. Alii gravia; alii  
levia. Toleremus invicem.

יהוה שם יהוה מבורך





Aug VI 15

ULB Halle 3  
003 865 746  


Sb.


Reho  
VD 17  
KD 18  
L











B.I.G.

Farbkarte #13

37.

26

המדה

זבעל המעלות הגדול  
קנתי איש את יהוה בל

RESIDERIUM

NTROVERSA

OS EVÆ

SIONE,

ITUR

COMM. I.

OUNTON EETAΣE  
ENT

ES

IAS Gensel/  
A SILESIIUS.

NDENS

MICHAELIS,

HUNGARUS.

TERI HOR. MAT.

BR. MDCLXXVI.

ERGÆ,

SCHRÖDTERI.

